

Zeitschrift:	Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber:	Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band:	- (1752)
Heft:	25
Artikel:	Locus Iulii Caesaris ad Helvetios pertinens, adversus emendationem a I.C.H. tentatam defensus & illustratus
Autor:	Bochat, Loys de
DOI:	https://doi.org/10.5169/seals-394711

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 21.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



Locus JULII CÆSARIS ad Hel.
vetios pertinens,

adversus Emendationem a J. C. H. tentatam
(*) defensus & illustratus.

Ad

Virum Clarissimum

JO. JAC. BREITINGERUM,

*Canonicum & Linguae Græcae Professorem
Turicensem.*

Rerum vetustissimarum plerarumque notitiam
sæpe unico unius Scriptoris antiqui loco,
quarundam etiam vel verbulo, constare,
non mirantur, qui sciunt quantula ope-
rum eorum pars vitaverit libitinam. Quod quin
Tom. VII. A Tu,

(*) Luculentam hanc *Commentationem apo-*
logeticam debemus Viro Spectatissimo, multis-
que in rem litterariam meritis Clarissimo LOYSIO
de BOCHAT, Pro. Prætori Lausannensi: Cui in
superiore Particula inscriptam exhibuimus ejusdem

Tu, Vir Clarissime, cui sunt in numerato deperdita pariter atque extantia, saepius recolueris, minime dubito.

Nil proin praeter opinionem Tibi evenit, quum rebus Helvetiorum antiquis primum incumbens, seduloque, ut soles, eas investigans nec dum in lucem extractas, haud aliis fere seu indicibus, seu testibus, quam singularibus, eas hodie cognosci, declarari, aut confirmari posse intelligeres.

Neque Te poterat fugere, (sine Te ad hujus rei memoriam exemplis duobus revocari) vel solertissimos in conjectando, Gentis Helveticæ antiquitatem probabiliter vix suisse producturos ad Sæculum post Romanam conditam alterum, ni superstes esset *PLINII Majoris* locus, Heliconis Helvetii, Prisco Tarquinio supparis, mentionem faciens.

Helvetios a Cæsare armis subactos Reipublicæ Romanæ sine foederis obligatione non paruisse, constituiisse equidem necessario Juris Quiritium publici intelligentissimus. Quominus vero Tibi Genti.

argumenti tractationem; quæ vero in spongiam incubuisset, si nobis aliquid de hoc Viri Nobilissimi consilio suisset cognitum, aut si ipsa hæc Commentatio paulo citius in manus nostras suisset delata: Leviter enim tantum perstringit, quæ hic uberrime explicata & multa eruditionis copia conspersa legi possunt. Probabitur tamen bonis Helvetiæ Civibus commune utrique in Patriæ gloria tuenda pietatis studium. J. B.

Gentique nostræ esses ad blanditus honesti alicujus
fœderis præsumpta opinione, intercessisset hæc
ipsa Tua peritia: Ea namque compertum habe-
bas, vera deditiorum servitute, civili fœderis
nomine velata, viatos Populo Romano mancipa-
tos fuisse. Quod longe Te abduxisset a præsen-
tienda conditione adscripta fœderi Helveticō:
quippe quæ formulæ solenni adeo adversa erat,
ut Helvetiorum libertati atque honori prospexit
Cæsar unice videretur, nec sine Romanæ dignita-
tis aliqua imminutione. Inde igitur, unde ra-
tiones ex sola victis impositorum fœderum indole
vulgari subducens, non nisi sortem subditorum
Populi Romani omnium abjectissimam esses augu-
ratus Helvetiis: Locus CICERONIS, conditio-
nem fœderis hujus oblivioni eximens, Gentis in-
signe prodidit decus, æternum etiam hoc teste
futurum.

Quo dicta tendant intelliges, Vir Spectatissime!
quum a Te, si licet, quæsivero, quo Tu animo
Helvetios audituros arbitris loca illa *Plinii* atque
Ciceronis interpolata esse contendentem, ea que sic
refingentem, ut aliorum traheret, nec quod ad
Gentem Helveticam spectaret amplius, quicquam
eis relinqueret? Respondebis, opinor, insurre-
cturos haud dubie velut ex condicto omnes, qui-
bus Helvetia floret, viros eruditione præstantes,
& impio ausu petitam testium gravissimorum Scri-
pturam asserturos quam promptissime; ac eo eti-
am impetu, qui Gentem honore vetustatis atque
fœderis eam eximie decorantis spoliare conantem
certo reprimet: id enim ille criticus re ipsa age-
ret.

Atqui quanto & vetustati & ornamenti reliquis virtutem antefert populus sapiens ac bellicosus spiritus, tanto sane præstare debet, germani Helvetii judicio, locis Plinii atque Tullii memoratis, locus JULII CÆSARIS, quo uno diserte dicitur, *virtute reliquis Galliæ Celticæ populis Helvetios præcelere.* Unde non Cæsar is duntaxat ævo, verum & a Civitatis Helvetiæ primordiis quoque, hac Gentem laude inclaruisse, fit admodum verisimile.

Hunc vero ipsum Cæsar is locum falsi postulavit exterus; & simul, assumpta judicis persona, damnavit continuo. Quin imo per Europam circumfertur, octo jam prope annos, temere lata hæc sententia; mansura cum Libro, quo facta est publica. Et ne uno haec tenus publice reclamante Helvetio, tam diu fugillatur vetustissima Gentis fama!

Derelictui ab hodiernis haberi prisorum Helvetiorum existimationem, nemo in animum inducit suum. Enimvero quam strenue, majorum vestigia prementibus posteris, decus illorum tueri soliti sint Helvetii, Regionum Occidentis Gentes expertæ sunt plurimæ; & ex annalibus sciunt omnes. Nec in asserendo Gentis jure segnes unquam Cives Helvetiæ fuisse, reperitur. Neque postremo carere etiamnum Helvetiam Civibus ad injuriam calamo illatam, calamo itidem repellendam & ulciscendam peridoneis, paratisque, quisquam supicabitur. Quid aliud igitur superest, quam ut candori Gentis, sensui veritatis obniti haud assuetæ, imputetur literatorum Helvetiæ silentium ab extraneis, & a Civibus quoque, veram

ram hujus cessationis plane singularis caussam ignorantibus? Nisi literatos magis accusent omitti erga patriam officii. Quorum altero quale pondus addatur præjudicatæ Emendatoris opinioni; altero, quam gravis culpæ insimulentur cum natalibus tum studiorum communione nobis conjuncti populares nostri, intelligitur.

His ego quidem qualiscumque literarum cultor, me patronum haud ingeram. Reis enim culpæ crimi fere proximæ, si tantummodo Cives fuerint, nedum majores, ubi succurrendum est, validiore opus est defensore: immunibus culpæ nullo, quam ab omnibus abesse lubens præsumo. Etenim qui patrium Helvetio Civi animum deesse, vix testibus crederem, tantum suspicioni non tribuam. Nec etiam culpis annumeravero adversam opinioni meæ de re ad patriam spectante qualemcumque sententiam, ex ipsa patriæ caritate peræque manantem.

Huic certe uni rem eandem alio atque alio modo dijudicandi rationi, quod nostratum eruditorum, (quibus Emendatoris conatus pridem innotuit,) nullus in certamen cum eo descenderit, adscribo potissimum. Contemptu namque melius quam disceptatione caveri, ne cui sucum faciat error, solo tempore evanescens apud se constituerunt. Securis evidentia calumniæ visum etiam est, satis eam fastidio puniri. Putarunt denique, infra dignitatem suam fore pugnam cum ignoto provocatore inire minime necessariam: maxime quum telis, non nisi aërem ferientibus clypeum

opponere tironum sit, veteranos haud omnia
deceat.

Quemadmodum vero qui rationibus illis indu-
cti cunctati sunt, eos extra culpam omnem esse
arbitror; ita mihi vicissim spes est, futurum, ut
ignoscant mihi aliter hic de defensionis utilitate
censenti.

Equidem quum in manus meas incidit, anno
demum proxime exacto, *Miscellaneorum Lipsiensi-
um Novorum Voluminis Secundi Pars Secunda*, ubi
Emendatio, qua de agitur, exstat, visa mihi illa
est ejusmodi esse, ut quæ aspernari potius præ-
termittendo, quam refutando honorari, debeat.
At rem circumspicienti pensatius, labori perfa-
cili eam convellendi haud esse porro parcendum,
existimavi.

Metuebam scilicet, ne illorum, quos tangit
res, taciturnitate multis aliquando dubium fiat,
quod hucusque omnes pro contestato habuerunt.
Quæ vero testis unius fide stans, semel in dubiis
poni cœpit, ejus nunquam restituitur auctoritas,
nisi novis, iisque omni exceptione majoribus te-
stibus: interea autem accengetur incertis, & deni-
que falsis. Metum hunc intendebant exempla.

Risu haud dubie mox a sapientibus excepta,
spretave penitus, & ideo non refutata quum e-
mitterentur mera somnia, sibi nihilominus fi-
dem apud vulgus primum, mox deinde apud sa-
niores quoque minus cautos; ac lapsu temporis
in universum auctoritatem conciliaffe, vix dein-
ceps

ceps infringendam, documento sunt fabulæ tot antiquitatem dedecorantes. Quas si veri custodes, ut esse debent Scriptores historiæ, suffocassent in cunis, nunquam illæ adolevissent, aut invaluissent; multo minus intromissæ fuissent in sanctuarium soli veritati apparatum, ubi tamen sub ipsius persona locum usurparunt nobilissimum, difficulter omnino dignoscendæ: inæstimabili damno posteritatis, cui tenebris lucem obvelarunt, haud prius, quam depulsa summo labore caligine, illi orituram.

Cujus animum sic afficiebant exempla vetera & aliena, eum ut domestica, nec antiqua, vehementer moverent, necesse erat; præsertim cum essent numero plurima, & momenti nonnullius: qualia sunt quæ in Commentariis, illustrandæ historiæ Helvetiæ antiquæ destinatis, exposui. E quibus unum saltem hîc repetam, expedit.

Ut in ipsa Helvetiorum historia Helvetios ex oculis subtraherent in totum fere post tempora Vitellii ad Constantiniana usque, Scriptores nostri, effecit unius eorum opinatio, levitate sua somnio æquiparanda. ÆGIDIUS nempe TSCHUDIUS, Vir alias inter Helvetios multis nominibus merito illustrissimus, honorandæque memoriæ, qui primus omnium, renascentibus in Occidente literis, rebus Helvetiæ priscis investigandis & Scripto consignandis animum gnaviter applicuit, videns, Civitates nonnullas, indubitate Helveticas, Sequanis tamen adscribi a Ptolomeo, sæculi secundi Geographo; nec qui Græcum illum erroris in hoc expertem præstaret, cernens; eo recurrebat,

ut suspicaretur, Helvetiam Sequanos inter atque Rhætos, partitore Vitellio Imperatore, Helvetiis infenso, distributam fuisse. Quarum Provincia- rum quum accessio fuisset pars Helvetiæ cuique earum attributa, nec solidum corpus Gentis pars quæque esset; hinc evenisse, ut & Genti & Re- gioni peculiare antea *Helvetiæ* nomen obsolesce- ret, ac sola Sequanorum vel Rhætorum appella- tione Helvetii tandem designarentur.

Avide auribus excipere, nec ad veri normam severe exacta complecti atque retinere quemque, quæ honori vel decori sunt Genti suæ, humani ingenii est; ut dedecori futuris Cives facile credu- los haud ferme invenias. Fortunatior conjectura Tschudii fuit. Utut, quæ Gentem altius iret de- pressum, excogitari vix ulla quiret, nullis præ- ter Ptolomeum, erroris manifestum, fulta testibus esset, cepit tamen illico Helvetiæ Cives eruditissi- mos æque atque amantissimos patriæ, JOSIAM SIMLERUM & JOANNEM STUMPFIUM. Quia ac si gratos sese Tschudio haud satis exhiberent, divinationem ejus adoptando in conjecturæ lo- cum, quem unum obtinuerat apud parentem, eam pro re comperta habuerunt, & exinde posue- runt affirmative.

Horum duumvirum auctoritate securior GUIL- LIMANNUS, errorem, solis linguae Germanicæ peritis a Stumpfio injectum (Typis vulgatum non est Simleri, ubi etiam is legitur, opus latine con- scriptum,) sermone eruditis communi recitans, quoquo gentium intulit. Quod nequaquam, ut puto, commisisset, si quæ huic opinioni objectæ prius

prius fuissent veritatis vindiciæ. Monitoris enim saltem hæ fecissent officium. Commonentis nimurum, ne caussa non sedulo riteque cognita, veteres Helvetios maxima Capitis deminutio-
ne damnaret: neu caliginem hac sententia of-
funderet historiæ Gentis, non depellendam a fu-
turis historicis, dum crederent, vano se labore
perquisituros fata Civitatis inde a Vitelli regno jam
extinctæ. Quin circumspicendo attentius, ani-
madvertisset *Guillmannus*, auctorem se, admissa
publicataque latius *Stumpfi* opinione, futurum
statuere cupidis, hodiernos Helvetios priscis non
esse prognatos, verum nominis duntaxat suscep-
tores, alia gente satos: quam quum *Harduino*
suggessisset perturbandæ antiquitatis lubido offu-
ciam, ea asseveranter uti, in adnotatis *Plinio*,
haud religio ipsi fuit.

Triste illud *Tschudii* carmen præeuntibus ante-
signanis, verba repetiverunt scrupulosius, ut as-
solent, subsequuti de Rebus Helveticis Scriptores.
Quibus, quod concinuerint exteri, in crimen
ea propter hi vocandi profecto non sunt. Maxi-
me Sequani atque Rhæti, quorum fines ita tam
liberaliter nostri de suo prolatabant ultro. Do-
num a prudente oblatum insigne, non periculo-
sum, neque suspectum, minime repudiasse, quis
vitio cuiquam vertat? Ambabus vulgo accipiunt
ad rem paullum attenti. Arripuerunt Rhæti &
Sequani, eoque suos annales adornarunt diligen-
ter. Quo factum est, ut error, pœnitenda Hel-
vetiorum culpa inductus, trium populorum hi-
storiam trecentis ferme annis occupaverit, atque
conturbarit. Quem, iterare dicta liceat, si quis

A § statim

statim atque prodit in publicum refutasset quomodo cunque, eo protinus indubie relegatus fuisset, quo fabulæ projiciuntur. Ut enim proprius inspiciantur opiniones, & sub examen vocentur inexploratae, efficit impugnatio quævis. Sunt eruntque omni tempore, scire cupidi quis justius induerit arma. Ut ut vero non absimilia prorsus appareant quæ perhibentur in antiquis, simplici negatione satis sufflaminantur, nisi testibus, vel monumentis, vel necessaria rerum consecutione sint innixa. Quæ autem & testibus & monumentis & institutis populorum adversantur, illa, modo non invaluerint suffragatorum numero vel auctoritate, sola inspectione diluuntur. Anceps ut quæstio non sit, opinione quidem mea, utrum protinus & sine mora errori nascenti occurere; an donec vires undecunque acquisierit expectare, præstet?

Ad hæc attendens animo, emendationem loci JULII CÆSARIS a J. C. H. tentatam excutere consultum mihi visum est, ne seu alios secure nimis exscribendi consuetudine, scriptoribus per quam familiari, serpat latius, seu vetustatis reverentiam sibi tandem adsciscat aliquam.

Enimvero ab his præcavere Genti Cives Helvetiæ, qui possunt aliquatenus, teneri censeo. Nam si judice Cicerone, officiorum diribitore peritissimo, qui non defendit, nec obſtit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat: quid ille, qui & populibus sæculorum multorum, & amicis & parentibus & patriæ simul illatae injuriæ non obſtit,

quo-

quocunque modo potest? Tot necessitudinibus conjunctim urgentibus, ne cessando deesse, partes ego Velitis, quas possum, obitum venio, donec Hastatorum opera si opus sit, illi in certamen succedant.

Nec vereor ne Censor æquus me Veteranum notet, quod tironis metu videar affici. Veteranus enim si filius sit, cernatque in patrem jaculari, pietati ejus primo armorum tam fidenter vibratorum aspectu commotæ, quis succenseat pius?

Res est solliciti plena timoris amor.

Huic natura inditæ sollicitudini multa condonantur in minus honestis. Amori patriæ (ipsissimus est Gentis amor) primas in officiorum erga alios comparatione tenenti, nil ne indulgeretur, etiam si excederet modum? Tam severus ei certe non fuisset, quem modo audivimus, Cicero. Exploratum quippe illi erat, omnes omnium caritates hac comprehendendi. Næ Tu, Vir Clarissime! in quo est hic idem amor flagrantissimus quoque, rigidior esses ejus susceptioni? A me quam procul sit omnis id genus metus, hoc patet, quod Te rogem, patiaris, ut sub oculis Tuis isthæc velitatio fiat, eo Te primum omnium judicem habitura. Quem tametsi saventissimum mihi nequidem essem expertus, appellasse nihilominus. Caussæ namque gratiæ id Te daturum confidissem. At amicitiæ officiis Tibi dudum obligato, quin hoc itidem haud gravatim concedas, nullus dubito.

Acce-

Accedit quod grati in CÆSAREM animi munia
exequenti, lubens aderis, credo. Est enim Tibi
notissimum, scriptorum veterum qui meliori jure
sibi devinctos habere debeat Helvetios, nullum
omnino esse præ illo. Absque quo utique si non
memoria, certe gloria prope omnis Helvetiæ Ci-
vium prisci ævi obiecta foret caligine temporis.
Cujus beneficij sensus in Gente vivax stet, haud
minus atque is erat quum primum ejus innotuit
caussa, sane condecet. Perstrinxit illa Tschudii,
Rhelicani & Glareani oculos primo diluculo litera-
rum in Helvetia. Et gratos sese confessim præ-
buerunt, quomodo cuique licuit, Viti illi. CÆ-
SARIS Libros, quotquot supersunt, illustrarunt,
omnium Europæ eruditorum diligentiam præcur-
rentes, ultimi duo. Quo, ut & ornatior & per-
petua Helvetiorum erga Cæsarem observantiae si-
gnificatio esset, scriptis suis non interituris, pro-
curarunt equidem. At gratiam plene retulisse la-
bore beneficium compensaturo, dici nequeunt.
Relicta namque ab illis fuit Helvetiis post se ven-
turis ea debiti pars, quam persolvere ipsi nequi-
bant: nimirum obligatio continue providendi ne
Genti pereat beneficium. Periret autem extremo,
sin Helvetiis omnis ævi illud eripere conanti ob-
loquatur nemo. Quæ superioribus adjuncta caus-
sa non nihil quoque me ad obfistendum impulit.

Pertrahebar denique propemodum dulcedine ex
argumento tractando in Civis animum influente.
Etenim Civi in felicitatis parte ponendum, si Majo-
rum virtute antecellentium memoriam colat, & perpe-
tuo de iis aliquid vel loquatur vel audiat, recte Plu-
tarctum

tarchum scripsisse (a) dudum sensi. Quod quum
Tibi perinde constare certus sim, haud hæsitavi
Te ad hoc delectamentum invitare. Conditora
tantum exquisito Tuo judicio litterarum alias con-
venire, non simplicia de penu vulgari, uti sunc
quæ adpono, haud quidem ignoro. Verum,
ubi merit amor, cuique condimentum placitum credo,
æque ac salium pater *Plautus.*

Armis & viribus caussa Teque inspectore multo
magis dignis pugnæ me offerre posse peroptasse.
At eorum, qui valent utrisque, nemine nomen-
dante, prodeundum nihilominus mihi esse, vel
hoc habitu, duxi. Quod si temere a me susce-
ptum putetur, excusatum me habeat Patriam ro-
go, his ipsis quibus Fastorum Libros suos excu-
sabat OVIDIUS Cæsari Germanico.

*Hæc mea militia est. Ferimus, quæ possumus arma:
Dextraque non omni munere nostra vacat.*

Si mihi non valido torquentur pila lacerto:

Nec bellatoris terga premuntur equi;

Nec galea tegimur, nec acuto cingimur ense:

(Hic habilis telis quilibet esse potest)

At tua prosequimur studioso peclore Cæsar

Nomina: per titulos ingredimurque tuos.

Ergo ades, & placido paulum mea munera vultu

Respicie.

Ad rem devenio tandem, quam ingrediar,
prolixitatis prologi, ut equidem visum est, in-
cœpto conducentis venia abs Te impetrata.

SEX

(a) In Arat. init.

SEX numero sunt loca *Libri primi Commentario-rum JULII CÆSARIS de Bello Gallico*, ad Helvetios pertinentia, male adeo sana, judice Critico, literis J. C. H. nomen suum designante, ut Æsculapio his locis opus omnino sit. Quem semet fore ipse pollicitus est sibi Reipublicæque litterariæ. Eorum locorum primus duntaxat hic a me propugnabitur, ceteris alteri forte disceptationi, si tanti videatur, reservatis.

Homini animo atque corpore valenti nemo facile persuaserit, ut tristem sorbeat potionem, nedum membra abscissionem patiatur, nisi mortis imminentis periculo eum suasor prius sic perculerit, ut fingenti sese committat cœco timori obtemperatum quævis jubenti. Quibus autem consultor J. C. H. nec rogatus, argumentis gestiat fidem eruditis facere, locum *Cæsaris*, nunc expendendum, morbo esse affectum, & quidem tam gravi, ut ferro ei sit medendum, a Medico ipso audire oportet. Cujus idcirco opellæ *Caput primum* repræsentabo totum; ne quis a me quicquam dictorum ejus consulto prætermissum suspicetur.

„ CÆSAR (a) statim ab initio describit Galiam, eamque incoli, refert, a Belgis, Aquitanis ac Celtis seu Galatis Gallisve. Horum omnium fortissimos esse Belgas, idem ostendit, ratus, ipsos a conciliandis mollitiei argumentis abesse

(a) *Miscellan. Lips. Nov. Vol. 2. Part. 2. p. 304.*

„ abesse, ac perpetuis cum Germanorum Gente
 „ exerceri bellis. Hæc cum tradidisset Cæsar,
 „ Lib. I. Cap. I. v. 4. ipse statim subjunxit hæc
 „ verba: *Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gal-*
los virtute præcedunt, quod fere quotidianis præliis
cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos
prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.
 „ *Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictam est,*
initium capit a flumine Rhodano, continetur Ga-
rumna flumine, Oceano, finibus Belgarum. Le-
 gendum esse, existimo, in hunc modum:
 „ *Qua de causa Belgæ quoque reliquos Gallos virtute*
præcedunt &c. Apparet Lectori illico, intru-
 sum hic esse glossema Grammatici, seu Com-
 mentatoris cuiusdam, in quo vox *Belgæ* minus
 clare potuit legi. Librarius glossema id inter
 verba Cæsaris iatexit, & dum descriptor no-
 vus putavit, ad Belgas hæc non quadrare,
 quippe quos Cæsar jam dixerat continenter
 cum Germanis bellum gerere, ipse Helvetios.
 substituit. Eximenda idcirco sunt e contextu
 Cæsaris illa: *Qua de causa Helvetii . . . gerunt.*
 Eis enim ejctis, oratio sibi constat, & cuncta
 prono fluunt alveo. Verba enim quæ sequun-
 tur: *Eorum una pars . . . Belgarum*, non refe-
 renda sunt ad Helvetios, sed ad Galliæ incolas
 omnes, quos Cæsar ante dixerat, *lingua, in*
stitutis, legibusque inter se differre. De Helvetiis
 distincte Cæsar hæc tradidit, Cap. II. v. 4.
 Minus facile *finitimis bellum inferre possunt.* Quo-
 modo hæc, obsecro, conciliari queunt cum
 eis, quæ a Glossmate docentur? Glossema
 enim Helvetiis tribuit facilitatem gerendi bel-
 lum in finibus Germanorum. Nec ulla appa-
 „ ret

„ ret ratio, cur Cæsar in expositione de virtute
 „ Belgarum instituta, de Helvetiis voluerit disse-
 „ rere, de quibus quippe demum *Capite secundo*
 „ agit. Et quomodo verba illa: *Eorum una pars*
 „ *initium capit a flumine Rhodano*, cum Helvetiis
 „ connecti eisque subjici possunt. „

Scilicet id falsa totum ratione receptum' sit,

ut rem summatim hoc *Lucretii* versu exponam. *Enim.*
vero falsa mendi specie oculis Critici objecta (unde
gentium? equidem non appareat,) umbrane levi
deluderetur, an rei existentis imaginem conspice-
ret, non disquisivit, uti oportuisset; verum qui
malum irrepserit in hunc locum, unice cogitavit
illoco: Et facti reos mox etiam se deprehendisse,
credidit. Miseros nempe Librarios, Grammati-
cos, Commentatores, qui præsto sunt, ob mini-
mam lapsus suspicionem, vapulandi, non tantum
potitis sceptra critics, sed infimi quoque ordinis
quæsitoribus. Immo & seriem criminum, tan-
quam si testes interfuerint singulis accusatores,
ut hic noster, adsingunt jam præjudicio damna-
tis, ad indicis præmium obtainendum. Quam
quam adornarunt fabulam, mire sibi placent,
Herculi monstrorum domitori vix cessuri loco.

Sed alium plane procedendi modum præcipiunt
 leges sanæ Critics, utpote ad jus cuique suum
 in literis tribuendum, perinde atque in civilibus
 vel criminalibus forenses, constitutæ. Vetant il-
 lœ, quemadmodum & istæ, ne quis inquirat ju-
 dex in aliquem, an crimen admiserit, donec de
 corpore delicti certo constet. Quod non simpli-
 ci, nedum imaginaria suspicione judici certum
 fit;

fit; sed sola oculorum aut testium fide. At ne suspicioni quidem adulterati quid subesse vel additi in loco *Cæsar*is, quo de agitur, locus ullus est. Omnia namque, quæ lecta ibi post hominum memoriam fuere, nec plura, neque aliter posita, hodienum habet. Quorum singula sensum etiam præbent planum, nilque absoni seu erronei ferunt.

Tot præterea virorum cujusque gentis exultæ literis doctorum manibus trita, recensita, illustrata, inque linguis vernacula versâ Commentaria *Cæsar*is fuerunt; eorum insuper firmata legendi ratione, Codicum quotquot habentur collatis exemplaribus; ut acutum omnino se videre vehementer confidat is necesse sit, qui solus nebulas cernere existimet, ubi pura luce atque viva fese perfundi cæteri omnes huc usque senserunt. Non alteri certe quam Emendatori hactenus suboluit, vitiatum quid ibi esse. Neque in hoc toto versu variantem, ut vocant, lectionem ullam exhibent Codices, præterquam in vocabulo *præcedunt*; pro quo unus, Oudendorpio allegatus, habet *præcel-lunt*: sensu eodem utique, nisi quod Helvetiis istud, quam illud, verbum sit magis honorificum.

Tueri itaque se jure potest recepta in contextu legendi ratio, temporis, profecto longissimi, præscriptione, atque eruditorum veteris etiam ævi, ut nostri ac præcedentis, & decimi sexti saeculi omnium, sententia, unum si excipias Emendatorem J. C. H. Quoniam vero locorum, mendis, quæ Criticorum aciem fugerant, haud expertum exempla prodit omnis dies; excutienda sunt, quasi primum subjicerentur oculis, illa,

quæ vitii cujusdam accusantur, & accusatorum ponderanda sunt argumenta sedulo.

Falsum in nostro *Cæsar*is loco commissum arbitratur Emendator ideo, quod Helvetiis illic tribuantur, quæ de solis Belgis Cæsarem scripsisse, contendit. Quibus autem indiciis hæc fulciatur opinio, audiamus.

Primum hisce verbis profert: *Nec ulla appareat ratio cur Cæsar in expositione de virtute Belgarum instituta, de Helvetiis disserere voluerit, de quibus deum Capite secundo agit.*

Equidem, si tam esset certum, quam videtur esse a vero alienum, & dubiæ quæstionis, noluisse Cæsarem hoc Capite primo mentionem Helvetiorum ullam facere, id colorem inderet aliquem suspicioni. Verum, quandoquidem alia sese specie nulla hæc præsumptio probare auctori suo potuit, quam quod apta videbatur quæ temere conceptam opinionem de vitio illato textui aliquantum firmaret; vel hoc uno indicio constat, parum hic ad ratiocinationis accuratae regulas attendit. Criticum. Qua sola responsione defensoris partes a me satis peractas putarem, sin adversarii repellendi caussa tantummodo contendere. At vero lumina quædam præferre veritati, paucis illis *Cæsar*is verbis prolatæ, in votis potissimum est mihi. Quamobrem onus manifestum faciendi errorum Emendatoris, ut in litteraria disputatione decet, ultro suscipiam, demonstratus; Cæsarem voluisse de Helvetiis præfari: tum, id eum tecum re ipsa, ac verbis iisdem illis quæ ibi

ibi lecta sunt in hunc usque diem: deinde, qui in errorem inciderit Emendator: postremo, nil a Cæsare illic de Helvetiis dici, quod aliorum veterum testimonio non firmetur.

Horum quatuor hujus disquisitionis Capitum priora duo simul absolvam simplici Capitis primi Commentariorum *Cæsaris* Analysi. Quippe cuius Capitis autem minus assecutus Emendator, non perspexit, consulto ibi generaliora quædam de Helvetiis Cæsarem præmississe.

Enimvero, Cæsarem res a se in diversis Galliæ partibus gestas litteris consignaturum summariam regionum descriptionem præmittere necesse omnino erat. Orsus itaque est ab summa Galliæ divisione in partes tres. Has non utique Regionum, sed communi incolarum cuiusque nomine distinguens, *Unam*, inquit, *incolunt Belgæ*, *alias Aquitani*, *tertiam*, *qui ipsorum lingua Celtæ*, *nostra Galli appellantur*.

Ne quis autem, cognitis lingua, legibus & institutis incolarum unius illarum partium, putaret, sibi eo ipso notitiam reliquarum pariter comparsasse; recte addebat Cæsar, *Hi (Populi) omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt*.

Quibus limitibus pars quæque contineretur ac disterneretur ab alia, historico haud minus docendum erat. Hinc *Gallos*, ait, *ab Aquitanis Garumna flumen, n Belgis Matrona & Sequana dividit*.

Ejus intererat maxime, ut quinam partis cuiusque validissimi strenuissimique populi essent, posteri scirent, præmium alias non adsignaturi justum sibi victori tot gentium. Supradictis itaque continuo subjiciebat: *Horum omnium fortissimi sunt Belgæ.*

Ne vero vel opinione tantum, vel gratia, vel augendæ gloriæ suæ cupiditate ductus, Belgis pæcipuam fortitudinis laudem tribuere videretur, ejus rationes profert duas.

Quod a cultu ac humanitate provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos Mercatores sæpe commeant, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent important.

Longius paullo quum hæc ratio petita videri posset, & aliis etiam omnibus populis a Provincia Romana dissitis peræque applicanda, cauſsam addit alteram Cæsar magis proximam, hanc nimis: *Proximi sunt (Belgæ) Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt.*

Exemplo etiam hujus cauſæ rationem illustrare volenti, aptius nullum suppeditabat Gallia, quam Helvetiorum exemplum, huic loco magis idoneum, quod ad populum pertineret, de quo mox Cæsari dicendum erat, cujusque fortitudine clarior ejus victor haberetur. Hinc ita pergit Cæsar: *Qua de cauſa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt; quod fere quotidiani præliis cum Germanis contendunt, quum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.*

Bellorum omnium, quæ Cæsar in Gallia habuit, illustrissima certe fuerunt Helveticum & Belgica. Unde Gentium illarum fortitudinem præ aliarum virtute prædicando, gloriam suam extollebat. Quod porro quum non factorum narratione solum, sed & cauſarum quoque hujus fortitudinis expositione præstaret indubitatum, laudem suam eo ipso certissimam splendidissimamque reddebat. Tum enim tam certum erat atque hodienum, non nisi fortissimorum esse, fortissimos vincere. Quod Græcis vulgare verbum haud minus usurabant Galli. Ut, pro dignitate sua Vercingentorix, ultimus ille libertatis in Gallia propugnator acerrimus, tandem victus & ad Cæsarem adductus, armis, phalerisque ad victoris pèdes projectis, hoc uno uteretur clementiæ sibi a generosa Cæsaris indole conciliandæ accommodato: *Habes, inquit, Virum fortem, vir fortissime, viciſti.* (a)

Notissimum etiam semper fuit, *asfuetudine belandi nutriri dimicandi audaciam* (b), ut docent artis militaris Magistri. Omnibus longe superiori Cæsari, scriptori quoque præstantissimo, accidisse, ut cauſam fortitudinis Belgarum & Helvetiorum non haberet perspectam, vel hanc in exemplum illius adduxisset minus certam, si quis objiceret, vim inferret pudori. Candide e contrario dicta perpendenti fatendum erit, apposite omnino & ex arte Cæsarem hæc de Belgis atque Hel-

(a) Flor. Lib. 3. Cap. 10.

(b) Veget. Lib. 2.

vetiis illic præmisisse. Plane ut huc concurrant quæ ad plenam fidem faciendam Aristoteles requiebat, ut, nempe, *ratio apparentibus attestetur, & apparentia rationi.* (a)

In alia tamen omnia abit Emendator noster, De Helvetiis hic quicquam proloqui Cæsarem minime voluisse, contendit, ut Belgarum solorum fortitudinem memorari deprehendat; sicque Cæsar's mentem capiat, ut historicō eximio, verborum, si quis aliis, neutiquam prodigo, judicioque exquisito, exciderit (imprudenti, dicere falem debuisset) absurdā oratio, & putida repetitio. Quid aliud profecto esset, Belgarum fortitudinis causam exemplo fortitudinis Belgarum declarare, vel eadem de ipsis illis Belgis continuo iterare? quo tamen rediret omnino Cæsar's oratio ex Emendatoris interpretatione.

Atqui non de Populo eodem, verum de Populis duobus verba fecisse, ideoque facere voluisse Cæsarem, luce clarius esset, tametsi neutrius Populi nomen illic legeretur.

Etenim fortitudinis unius, scilicet Belgarum, causas allegat duas: alterius vero, Helvetiorum nempe, unicam duntaxat; & eam ipsam, quam, de Belgis loquendo, eis quoque tribuerat. Cujus diversitatis in aperto ratio est. Helvetiis namque prior fortitudinis Belgarum causa applicari qui

(a) Ο λόγος τοῖς φαινομένοις μαρτυρεῖ, καὶ τὰ φαινόμενα λόγω. *De Cœlo.* Lib. I. Cap. 3.

qui potuisset, conterminis Provinciæ Romanæ; a cuius cultu & humanitate haud igitur aberant adeo longissime, ut minime ad eos mercatores sæpe commearent, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent, importarent? Belgis ad inferum Rhenum sitis hæc cauſa propria erat. His vero cum Helvetiis communia fuisse frequentia cum Germanis bella, vel ex ipso Cæſare conſtat.

Porro, cui uſui vocula *quoque*, addita voci *Helvetii*, hic ſit futura, vel ſi hujus nominis loco ponatur *Belgæ*, quod vult Emendator, vellem indicasset. Consulto ne, an imprudens omiferit, alii judicent? Hac vocula, incommoda utique, cur contextum ſuum non purgavit, integra commata reſecare tam promtus? Quam diu certe ibi ſtabit *quoque*, tam diu indicio erit certiſſimo, non de populo, de quo mox loquebatur Cæſar, ſed de alio intelligendam eſſe hanc vocem. Nam ſimilitudinem, minime vero identitatem ſignificat. Ea autem ejēcta, qua ratione connexa iſt. hæc verba, qua de cauſa *Belgæ* reliquos Gallos virtute p̄æcedunt, ſervari queant, non appetet. P̄æſertim ſi, quod antea Cæſar dixit, *horum omnium fortiſſimi ſunt Belgæ*, ad Emendatoris, ut & Commentatorum, Interpretumque omnium modum, intelligatur: Scilicet ita, ut *horum omnium* referatur ad Gallos trium partium Galliæ incolas. Tunc enim ſupervacaneum, immo absurdum fuiffet monere, incolas Galliæ Celticæ a Belgis virtute p̄æcedi; quum hoc jam ſat evidenter innuiffent verba, quæ fortiſſimos Gallorum omnium Belgas eſſe, e nciāffent. Contra autem ſin integra retineas verba, ac prout ea declaravi, interprete-

ris, commode omnia fluere, inficiabitur, opinor, nemo.

At vero quum Vir eruditus bellum hic Commentatoribus atque Interpretibus *Cæsaris* omnibus, Gentique Helveticæ videatur indixisse, qua eo usque processerit ratione inductus, disquirendum est.

Ex errore Geographico fluxisse, quod offusas huic loco tenebras dispelli aliter haud posse, censuit, quam maculis, quas cernere credidit, abscessis, produnt argumenta ab eo allata. Scilicet, limites Galliæ Celticæ a *Cæsare* positos minus recte advertens Criticus, Helvetios Gallia exclusit. Quæ prima ejus allucinatio aliarum omnium scaturigo fuit. Id quum ostendero tertio hujus disputationis Capite, quod nunc ingredior, explicata res erit.

De summa Galliæ divisione, deque Belgatum & Helvetiorum fortitudine, quæ proposito conducerent, positis a *Cæsare*, rursum ad singulas Galliæ partes redit, limites cuiusque indicaturus, ne ad quam pertinerent populi, de quibus verba erant ipsi facienda in progressu operis, Lector ignoraret. Quorum limitum designatione clauditur Caput primum Commentariorum ejus.

Incipit autem hæc descriptio a Gallia Celtica, his verbis: *Eorum (a) una pars, quam Gallos obtinere*

(a) Hanc vocem, utut masculini sit generis, ad tres Galliæ partes referri debere, manifestum

nere dictum est, initium capit a flumine Rhodano: continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum: attingit etiam a Sequanis & Helvetiis flumen Rhenum: vergit ad Septentrionem.

Initium capere Galliam Celticam a flumine Rhodano, hic legens Emendator, nec memor, suos flumen illud fontes habere in Alpibus Lepontiis, initium Celticæ Galliæ ibi constituit præpropere ubi Rhodanus exit Lacu Lemano. Unde mox haud dubie collegit, exclusos Gallia suis Helvetios, quum extra hunc Rhodanum Genevensem essent positi. Qua semel admissa opinione, relinquebatur, ut in locum Cæsar, de populis Galliæ solum verba facere volentis, irrepserit nomen Helvetiorum, pro nomine Gentis cuiusdam, intra Galliæ fines consistentis. Ut mirum haud sit, his præsumptis, Emendatorem nullam vidisse rationem, cur Cæsar in expositione de virtute Belgarum instituta, de Helvetiis voluerit disserere; ac

B 5

proin

est. Populorum quippe, ut supra dictum, non Regionum nominibus usus antea Cæsar, pergit in eundem modum; ac propterea generis etiam ejusdem pronomine utitur: *Eorum* nempe, pro *Earum*. Quod non advertentes Viri docti, *Eorum* ad Helvetios retulerunt, præeunte Ciacconio. Alii ad Celticæ tantum Populos, quemadmodum Hotmannus, Aimonium sequutus. At Galliæ universæ incolas *Eorum* vocabulo indigitari, recte dudum statuit Daviesius; quod Emendator etiam prætulit merito.

proin existimasse quoque, de Helvetiis a Cæsare
actum esse demum *Capite secundo.*

Atqui non oblitio Rhodanum scaturire ex Monte *Furcæ* dicto, in Lepontiis Alpibus, nunquam venisset in mentem, Helvetios excludi Gallia hac Cæsaris limitatione, quod initium a Rhodano Galliam sumere, scribat. Hujus fluminis fontes ignotos Cæsari fuisse, statuat oportet, qui Emediatori adsentiat. Verum, qui Rhodanum in Lacum Lemanum influere didicerat, ei fons Rhodani Lacus, vel fluvii e Lacu exitus certe non erat. Cui notum etiam erat, Nantuates, *Venagros*, & Sedunos a finibus Allobrogum & Lacu Lemanu, & Rhodano ad summas Alpes pertinere, atque horum populorum regiones permeare Rhodanum; is ne Rhodani fontes in Alpibus illis esse, dubitasset? Minime gentium: nec si unum rei testem habuisset *Polybium* a se lectum sæpius, apud quem eum haud fugerant hæc: (a) *Rhodanum tribus fontibus surgere supra Maris Adriatici intimum sinum.* Deinde *Lemanu Lacu acceptum tenere impetum.* Quæ licet minus sint exerta de loco trium illarum fontium, altius tamen supra Lemanum Lacum lectorem deducunt. Huic Cæsari omnia illa tenenti memoria, affingat necesse est horum ignorantiam, vel lectores fallendi propositum, qui putat, eum scripsisse, Galliam initium capere a flumine Rhodano, ut doceret, hanc initium capere ubi demum Rhodanus exit Lemanu Lacu.

Quid

Quid vero multis opus est, ut a Cæsare Gallia non excludi Helvetios, pateat, quos plus semel in Commentariis suis *Gallos* vocat? His ipsis limitibus, Galliæ hic ab eo assignatis, Helvetii manifesto includuntur. Quum enim ponit, Celticam Galliam attingere a *Sequanis* & *Helvetiis* flu-men *Rhenum*; quumque porro inquit, *contineri* Helvetios una ex parte flumine *Rheno*, latissimo atque altissimo, qui agrum *Helveticum* a *Germanis* dividit: istud exinde nascitur argumentum certissimum: Gallia Celtica attingebat ab *Helvetiis* flu-men *Rhenum*: continebantur *Helvetii* hoc flumine quo ager *Helveticus* dividebatur a *Germanis*: Incolebant igitur *Helvetii* Galliæ Celticæ partem.

Et ad Galliam Celticam eos spectasse Cæsaris ævo, tam erat veteribus Geographis compertum, quam Belgicæ adscriptos tum fuisse Belgas. Quod alibi (*a*) me demonstrasse, puto, testimoniis atque argumentis hic non repetendis.

Temporibus Cæsari anterioribus exploratum id Historici perinde habebant. Cujus rei indicium POLYBII locus dat, quem ideo adponam. Verba is faciens directa ad tempus, quo primum Italiam occuparunt Galli, inquit (*b*): *In Alpibus utroque latere loca montuosa habitant, ad eam partem, quæ versus Rhodanum & Septentrionem spectat, Galli,*

(*a*) Memoir. sur l'Hist. anc. de la Suisse. Tom. I. p. 18.

(*b*) Lib. 2. Cap. 4.

Galli, qui Transalpini appellantur: ad eam vero, quæ campis imminet, Taurisci, Agones, & alia pleraque barbarorum genera, a quibus Transalpini non genere sed differentia loci differunt, ideo Transalpini dicti, quod trans Montes incolunt.

Gallos *Polybius* vocat, tum qui cis, (Romanorum in modum loquitur), cum qui trans Alpes, Italiam a Gallia dividentes, habitabant. Speciallym vero Transalpinos, nobis Cisalpinos, Gallorum appellatione indigitat. Et ne Gallorum vel Celtarum nomine, quo Græcus hic Scriptor utitur, Germanos quis intelligeret, quod veteribus aliquando contigit, addit; *non genere, sed differentia loci*, Transalpinos illos differre a Tauriscis & Agonibus vel aliis barbaris, Gallicæ haud dubie originis. Quin autem sub Gallorum versus Rhodanum & Septentrionem habitantium designatione Helvetios quoque *Polybius* complectatur, dubium utique non est: quum a Rhodani fontibus ad Septentrionem secundum Rheni fluminis lœvum latus, & ad Juram usque montem sedes suas si non ab Celtarum in Gallia adventu, minimum inde a prima Gallorum trans Alpes expeditione, Helvetii habuerint. Quibus limitibus ex hac parte inclusa Gallia abs tempore illo, populis Galliæ annumeratæ constanter fuerunt Gentes intra limites ejus consistentes. Novi igitur nihil, neque minus adhuc exploratum *Cæsar* scripsit, Helvetios Galliæ adscribendo. In quo si erravit, Romanos Scriptores cum ætatis suæ, tum sequentium in errorem induxit. Verbis enim plus minus disertis, qui meminerunt Helvetiorum, superstites omnes, Gentem Gallis annumerant.

Hanc

Hanc unam nominat CICERO (a) acerrimarum Nationum & maximarum Galliæ, quibus cum præliis felicissime Cæsar decertaverat. Omnium vero post Cæsarem evidentissime FLORUS, bella Cæsaris Gallica descripturus (b), *Primus, inquit, Galliæ motus ab Helvetiis cœpit: qui Rhodanum inter & Rhenum siti, non sufficientibus terris, venere sedes petitum incensis mænibus suis.*

Qui tam lucidis testimonii obniti, testibusque tam illustribus obloqui vir eruditus potuerit, mente nemo concipiatur facile, nisi quæ ad excusandum Emendatorem faciunt, audiverit: quæ idcirco proferam, ne censura eum rigidior vexet. Scilicet, opinionis, animo ejus quæ insidet, auctor non est. Antesignanis clari nominis succinit tantummodo. Germaniæ attributos olim fuisse Helvetios, posuerunt inde ab Sæculo Decimo Quinto Historici, Geographi, Literatores, Juris-consulti nobiles Germani plures; quorum sententiam statuminare hoc nostro etiam sæculo nonnulli laborarunt. Suffragatores primi illi habuerunt inter rerum Helveticarum scriptores. Expensa necdum accurate fuerat & ad obrussam exacta opinio hæc; ut qua parte standum esset æquo judici haud plane liqueret. Acceptam a popularium suorum plurimis (c) veriorem contraria visam esse Emendatori,

(a) Orat. de Provinc. Consul. Cap. 13.

(b) Lib. 3. Cap. 10.

(c) Si quid hic esset auctoritati recentium scriptorum, adeoque suffragiorum id genus numero tribuendum, horum numerus, quantus cumque

datori, veniam habet, eaque semel admissa, inde argumentari, consequens. Huic vero innixus, errori nempe mero, in errores hinc necessario fluentes, haud delabi non poterat. Cujusmodi hæc consecutio est; connecti nequire cum Helvetiis isthæc *Cæsar*is verba: *Eorum una pars initium capit a flumine Rhodano.* Quo utique verius nil daretur, si ad Rhodani fontes in Monte Furcæ non producto initio illo Galliæ, ad Rhodani e Lacu Lemano exitum foret subsistendum.

At, ostensis genuinis fontibus Rhodani, optimè consistere hos Galliæ Celticæ limites, ac illis proin Helvetios includi, liquido patet. Unde cur suspicionem, male adsutum fuisse nomen Heltiorum his antecedentibus verbis, *qua de caufa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt*, quis porro tueatur, nulla ratio est. Neque igitur inquirendi cuius Gallorum Gentis locum hic occupant Helvetii. Quanquam vel si fuissest hæc perquisitio

demum sit concinentium ex Germanis, unius LEIBNITII auctoritate, in his quoque merito summa vinceretur. Quantum enim originibus Populorum investigandis, singulique Genti, ad quam pertineret, assignandis, laboraverit insignis ille Vir, nulli horum studiorum cupido est ignotum. Atqui hæc Leibnitii in *Miscellan.* Berolin. Tom. I. p. 10. verba sunt: *Onnes illos Celtas ad Germanos refero quicumque a Reno in Septentrione in atque Orientem extendebantur: Sed qui trans Rhenum nobis Celtæ, (ac proinde Helvetii) ad Gallos pertinebant, tametsi Belgarum origo magis Germanica censeretur.*

quisitio necessaria, Belgis factam hanc injuriam deprehendisse hæc gloria alteri quam Emendatori non obtigisset, opinor. Cujuslibet certe Populorum Galliæ potius nomen sede sua motum existimasset Criticus, advertens, Belgis debitam fortitudinem jam addixisse *Cæsarem*: qua semel laudata commissurum eum non fuisse, ut tautologia tam ei insolita, quam in Scriptore tersissimo minime præsumenda, eam ipsam laudem continuo iterasset. Prono sane alveo, ut putat Emendator, haud fluxissent, ex mea equidem sententia, hæc fortitudinis Belgarum encomia repetita, nihil omnino ad intelligendam Galliæ summam partitio- nem necessaria: Quin immo hiulca prorsus evaderet *Cæsar*is oratio, rescissis e contextu, quæ resecta vellet Emendator, verbis. His ex adverso servatis omnibus in sede, quam hucusque tenuerunt, ne unum quidem est cujus non reddi queat ratio, vel e quo ambigi quid,endum contrarii seu *Cæsar*is ipsius, seu aliorum scriptorum loco ulli, consequi possit.

At qua ratione conciliandi sint, quæ *Cæsar*; Capite secundo versu-quarto, de Helvetiis dicit, minus facile finitimis bellum inferre possunt. Cum eis quæ a Glossemate, (scilicet?) docentur, quærit, negantis instar, Emendator. Nempe, ei Glossema sunt hæc *Cæsar*is: *quod fere quotidianis præliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.*

Respondeo, per facile concordiam servari inter haud invicem pugnantia: neque sese mutuo exercere, quæ simul stare posse negat Censor. Enim-

Vero

vero poterantne Helvetii gessisse bellum in finibus Germanorum aliquando, tametsi minus facile bellum finitimis inferrent? Quos non absterrebant Alpes inexsuperabiles, eos Rhenus, Germanorum munimentum, saepius utrinque trajectum, parum profecto morabatur. *Quantulum enim annis obstatbat [Taciti verba sunt (a)] quominus ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia divisas.* Gallis aliis facile non erat bellum Italiæ inferre: quis tamen historicum id dicentem pugnantia protulisse accuset, si dixerit etiam, bellum Gallos interdum gessisse in Italia?

Evici, ut puto, nihil Emendatorem attulisse, quod obstat quominus scæva sua contextus Cæsar's sectione stellis ultro nebulam candidis spargere velle, ab his dici queat, qui animo luminibus Helvetiorum officiendi id eum tentasse, suspicuntur. Qua tamen ego suspicione minime gravabor virum, ut ex aliis quibusdam ejus in Cæsarem conjecturis appareat, eruditum & perspicacem; a quo procul esse nocendi consilium omne, existimo. Mavelim arbitrari, humano inclarescendi desiderio id eum induluisse, ut, non expensis, quæ audaciiori conjecturæ obnituntur, opinationem illam in publicum prodire sineret, minime sibi eo usque placitaram si ad sequentia attendisset.

I. Non

I. Non esse temere sollicitandam legendi rationem Cæsaris, Interpretum & Editorum omnium oculis usque adhuc puram integrumque, ac etiam Codicum, quotquot reperti sunt, auctoritate constantem: nec enim, ut dictum est, inter se hic vel apice discrepant. Quin & si diversa quorumdam Scriptura foret, anteferti quibuscumque vulgarem debere, uno Critici ore statuerent, propterea quod Codicum, qui exstant, omnium aetatem illa superet antiquitate: Quæ testior est, quam ut in dubium revocari possit. Testem enim habet Græcum Cæsaris Interpretem: cuius verba, *ἢ τὸ δὲ τέτο καὶ οἱ Ἐλβίται κράτισοι εἰσιν ἐν τοῖς Κέλταις*, apprime reddunt latina, qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt. Eadem prætulisse Codicem, quo utebatur Orosius, indicio sunt ejus scriptoris, Interpretæ Græco vetustioris adhuc, verba (a): *Helvetiorum animos FORTISSIMÆ GALLORUM OMNIUM GENTIS*, ea vel maxime causa quod perpetuo cum Germanis bello altercabantur, a quibus Rheno tantum flumine dirimuntur, Orgetorix quidam princeps Gentis, sive totas invadendi Gallias in arma accenderat.

Eorum, qui primi veterum scripta in linguas vernaculae verterunt diligentiae ad asserendam electionem multum deferri oportere puto: quum aliis destituti auxiliis, præter Codicum comparisonem plurimorum, cui idcirco incumbebant sedulo, nullum ipsis suppeteret ad Auctoris sensum assequendum. Ad manus eis quoque opti-

Tom. VII.

C

mi

mi Codices erant plures hodie deperditi , quibus inter se collatis , genuinæ Scripturæ certi fiebant viri illi eruditi. Quod de Italibz potissimum intellico , apud quos major præstantiorum Codicum , & doctorum etiam numerus erat sub novo literarum ortu , quam in aliis Europæ partibus. Unius FRANCISCI BALDELLI , quæ Venetiis anno 1557. in 8. publicata primum fuit (a) , interpretationem loci Cæsaris integri ea propter referre non abs re futurum erit. Paraphrasi fere similior est , sed mentem Cæsaris eo explicatius exhibet , atque plane secundum nostram. Sic autem ille:

„ Il fiume Garona parte il paese de Celti da
 „ quello dé gli Aquitani. E la Matrona , & la
 „ Senna fumi corrono amendue come termini
 „ fra Celti & Belgi. Fra tutte queste Nazioni ,
 „ delle quali hora ragioniamo , i Belgi nella for-
 „ tezza avanzano di gran lunga tutti gli altri :
 „ percioché essi non usano quel modo di vivere ,
 „ c'he usato dagli altri , anzi sono in cio molto
 „ contrarii , & la vita loro non somiglia punto
 „ quella dagli altri huomini di questo paese: ne
 „ trà

(a) Illustri Marchioni Maffeo nota non erat hæc Baldellianæ Versionis Editio princeps , quum anno 1720. Venetiis emisit , typis Sebastiani Colleti , Opusculum inscriptum *Tradutori Italiani*. Ibi namque Editionum anni duntaxat 1572. & 1575. in 4. mentionem facit. Ejus quoque diligentiam sugerat dimidio Sæculo vetustior Baldello , Dante Popoleschi , cuius habetur *Cesare Guerra Gallica: Florentia 1518.* in 4.

„ trà loro vanno spesso mercatanti, i quali portano di quelle cose, per le quali gli animi loro ne possano più teneri divenire & più delicate. Et appresso son molto vicini à que popoli della Germania che habitano di là dal Reno, & fanno guerra continuamente con essi. La onde anco gli Suizzeri per questa medesima cagione, che si trovano quasi tutto l giorno allemanni con gli Alamanni, o qualhora eglino s'oppongon loro per vietargli il passo, che non entrino nel paese loro; o quando essi entrando in quello de Tedeschi, fanno loro guerra; avanzano tutti gli altri popoli di questa parte della Francia nella virtù, & nel valore dell'animo. ,

II. Rem incredibilem, vel absconam, aut inauditam tempore Cæsaris, hæc ejus verba nullam in medium adducunt. Ne laudem continent quidem oratorie exaggeratam, vel Cæsaris ipsius duntaxat gloriæ inservitaram: Verum tralatitiam atque pervulgatam inde a Sæculis multis. Quam ideo Helvetii quoque ipsi prædicabant in loco haud inverecunde: nec solum inter se, sed & coram Gallis aliis. Immo & Cæsari eam revocabant in memoriam. Quorum omnium in Cæsaris ipsiusmet Commentariis ad nos transmissa sunt exempla. Qui enim Helvetiis persuasisset Orgetorix, ut de finibus suis cum copiis omnibus exirent, narrando Cæsar (*a*), his Orgetorigem usum verbis dicit; *Per facile esse, quum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri.* Quæ

C 2

sic

(*a*) Lib. I. Cap. 2.

Sic Græcus interpres vertit : 'Ρᾶσον - - - - - εῖναι αὐτοῖς κρατίσοις οἵτι πάσις Γαλατίας ἀρχεῖν.
Non esse dubium quin totius Galliæ plurimum Helvetii possent (a), idem Orgetorix haud verebatur proferre in Æduorum Concilio. Nempe in Concilio Civitatis Celticæ totius Galliæ potentissimæ. Cui neutiquam esse comparandam Helvetiam, si copiarum numero æstimandæ populorum vires fuissent, ignorabat nemo. Unde fortitudinem potentiae verbo, minus invidiæ obnoxio, prudenter velabat Helvetius. Quod Græcus interpres recte intellexit. Nec enim vocabulum κράτισοι, quo usus erat vertendo adducta superius Orgetorix ad populares ~~sup~~ verba, adhibuit; habet quippe notionem fortitudinis simul ac potentiae: verum δυνατώτατος vocem usurpavit, quæ non nisi potentiam denotat. 'Οι μὲν γὰρ Ἐλβίτοι, inquit, πάντων τῶν Κελτῶν δυνατώτατος ὉΜΟΛΟΓΟΥΝΤΑΙ. Haud minus vulgo notam, quam indubiam rem esse, ultimum Interpretis verbum significat.

Hanc vero supra reliquos Gallos Helvetiorum præstantiam Dumnorige Æduorum principe, atque in eorum Concilio prædicans Orgetorix, communes profecto prudentiæ regulas arroganter violasset, nisi præcellentia in veteratæ, a Gallis omnibus æquo animo agnitæ, mentionem nemini futuram offensioni, duxisset certissimum.

Divi-

(a) Id. *ibid.*

Diviconi Cæsarem submonenti (a), reminisce-
retur veteris incommodi Populi Romani, & pristinæ vir-
tutis Helvetiorum, qui hæc excidissent, haud ad-
stipulante fama perenni Gentis? Thrasonis certe,
quod temere Hotmanus ad hunc locum dixit, &
ad jactantiam composita hæc oratio fuisse, in-
digna proin non primariæ solum nobilitatis, sed
& canæ sapientiæ viro, olim Helvetiorum in bel-
lo Cassiano duce, nunc eorum ad Cæsarem le-
gato.

Fortitudinis Helvetiorum famam promovent
& illustrant dicta usque ad Cimbrorum tempora.
Altius vero quum repeti queat, indice Plinii loco,
hujus disputationis initio memorato, atque mox
exhibendo; eo curatus enucleandus ille est, quod
simul & fidem Cæsaris in re, qua de agitur, ful-
cit mirifice, & summam præterea Gentis vetusta-
tem ac potentiam & virtutem solus adstruat, cæ-
teris Scriptorum Veterum, qui meminerunt Hel-
vetiorum, locis, haud ultra bellum Cimbricum
assurgentibus.

Animum certe ad res maximas capessendas
promptissimum, nullisque vel laboribus vel peri-
culis absterendum, priscis Helvetiis fuisse, indi-
cio est luculento primus Gallorum in Italiam
transitus. Cujus singularia ad Helvetios pertinen-
tia unus ille PLINII locus transmisit ad nos his
verbis (b): *Produnt Alpibus coercitas & tum inexsu-
perabili munimento Gallias, hanc primum habuisse caus-*

C 3

sam

(a) Id. Lib. I. Cap. 13.

(b) Nat. hist. Lib. 12. Cap. I.

sam superfundendi se Italiæ, quod Helico ex Helvetiis, Civis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccum, & uvam, olei ac vini præmissa, secum tulisset.

Fructus ex Italia domum a se allatos Heliconem obtulisse primum Helvetiis suis, quo illicio accedit apud eos desiderium potiundi regione talium feraci, nemo dubitaverit. Inde vero mox votum atque consilium Italiæ invadendæ conceptum ab eis. Quod quum suis viribus solis exequi non valerent, Gallos sibi proximos eadem cupiditate inflamarunt; ab his alii pertracti sunt, & sic ad omnes dimanavit contagione lubido, ut tandem Celticæ totius incolas infecerit. Hoc nomine expeditionis illius Gallorum auctores Helvetios dicere, *Guillimannus* potuit. At placere consilium ejusmodi qua ratione quivisset Civitati non assuetæ bello, vel viribus haud confidenti suis, ni prudentiam ei simul omnem abjudices, vix capias. Novitiae vero Civitati unde illis temporibus vires suppetiissent, quæ non aliunde quam ex multitudine virtuteque Civium succrescebant? Unius ætatis res nequaquam est populo prægravata Civitas; quemadmodum tunc, Livio teste, gravis Celticæ universæ turba erat, (quidni & Helvetiæ quoque?) tempore ejusdem Prisci Tarquinii, quo primum Gallis conjuncti Helvetii hanc societatem belli iniverunt. Antiquam proinde jam tum fuisse Civitatem Helveticam, recte colligitur: Ut, adeo quin ejus primordia primo Celtarum in Galliam adventui proximæ ætati assignentur, nihil vetet.

Helvetiorum illorum fortitudo ex incepti, cuius Auctores, vel minimum Socii fuerunt, natura conspicitur. Id enim primo agendum erat, ut Alpes, munimentum Italiæ, tum inexsuperabile, Plinii judicio, perrumperentur. Quod si Annibalis tempore *res fama utique borrenda inexpertis* (a) erat, saepius licet a Gallis perfecta fuisset; quorum exemplo Pœnos idcirco excitabat Annibal (b): horribilior multo videri Helvetiis debebat, quos præcesserat nemo, qui ducibus viæ carebant, gladio aperiendæ atque muniendæ. Plane, ut, *qui pro portento prope a majoribus habitus* (c), item *pro tempestate in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis nivibus velut Cœlo missa* (d), Romanis fuerit Annibalis Alpium transitus, si conferatur cum successu Gallorum, quos ad transcendendos montes illos, tunc invios, Helvetii induxerant; hos Pœnæ cum animo, tum fortitudine constantiaque longe superiores agnoscamus, necesse sit. Maxime vero si expeditionum inter se componantur difficultates.

Gallis certe suscipiendum iter erat per medios hostes, qui si natura minus strenui fuissent, aut virium exiguarum, contra montanorum populorum indolem & habitum; tuti vero quum essent locorum situ, hoc uno satis prævaluissent ignaris

C 4

regio-

(a) Liv. Lib. 21. Cap. 29.

(b) Id. Lib. 21. Cap. 30.

(c) Plin. Lib. 36. Cap. I.

(d) Flor. Lib. 2. Cap. 6.

regionum, in quibus procedere, nisi protritis Alpium incolis, hostes nulli poterant.

Annibal vero in ascensu Alpium duces habuit accusas locorum, quos jam ad bellum contra Romanos in sententiam traxerat (a). Ei præterea Boii promisedrant, se duces itinerum, sociosque periculi fore (b): Alpium ipsarum Reguli, se obedienter imperata facturos, commeatum itinerisque duces & obsides daturos (c). Quod quamvis non omnes pro data fide impleverint, dimicandum Annibali bis tantum fuit: ut non tam ab hostibus, quam ab iniquitate locorum Carthaginenses oppugnarentur. (d)

Emensis Alpibus, Annibal, post expugnatam Taurinorum Urbem, amicorum, sociorumve, aut metu sibi obtemperantium populorum terras ingrediebatur opimas, ubi fessum fovere atque recreare militem poterat, integris deinceps ejus viribus usurus. Gallis ex adverso non quietis paullum ad curandum corpus, neque rerum copia, qua reficerentur, nedum socii ullius auxilia erant speranda trans Alpes: verum acriora duntaxat, ac sine intermissione bella, donec depellendorum ex patriis sedibus Italorum agros vicosque haberent in potestate.

Credi-

(a) Polyb. Lib. 3. Cap. 10.

(b) Liv. Lib. 21. Cap. 29.

(c) Id. Lib. 21. Cap. 34.

(d) Polyb. Lib. 3. Cap. 10.

Credideritne cœpti cujusdam Auctor, rem id esse solius Dei, an humanis etiam viribus posse perfici, plurimum oppido refert, ubi merita laus successu est assignanda. Unum Herculem,

*Intemerata gradu magna vi saxa domantem (a),
quem æmularentur, habebant Celtæ. At horum
ipsorum exemplo, a Gallis accolis Rhodani non
semel neque bis ante id tempus (b) repetito, certus
Annibal erat, Virorum fortium*

*Nubiferos montes & saxa minantia Cœlo
Accepisse jugum. (c)*

Populos Italiæ percusso magis multo fuisse
prima Celtarum trans Alpes irruptione, quam
Pœnorum adventu, est ex dictis vero simillimum.

C 5 Anniba-

(a) Silius Ital. Lib. 3.

(b) Qui POLYBIUM non nisi per interpretem Nic. Perrotum consulent, errasse me censem, quæ interpres ille latine de *accolis Rheni* refert. Sed Græcum adeant, quæso, sua lingua loquentem. Culpæ reum deprehendent Perrotum. Hæc enim Polybii verba sunt: Κελτοί, τας παρὰ τὸν ῬΟΔΑΝΟΝ ποταμὸν ὀικεῖσθαι, ωχ ἐπαξ γέδε δῆς πρὸ τῆς Ἀγγίσεω παραστίας - - - ὑπερβάνθαι τὰς Ἀλπεις. Hanc Perroti culpam, Rhenum pro Rhodano huc traducentem, non emendaverunt tot, quæ prostant versionis ejus Editiones.

(c) Sil. Ital. Lib. 4.

Annibalem gestis tot aliis illustrissimum impensis
hoc nomine celebrarunt Poëtæ

*... Ut vicerit Alpes
Herculei socius decoris, divisque propinquas
Transierit cursu rupes (a),*

cecinerunt. Immo & historiæ scriptores, per-
terrefacere legentium animos studentes, falsa tra-
diderunt & inter se repugnantia, *ut tragœdis potius
similes, quam historicis videantur (b)*: quæ gravissi-
mi POLYBII in eos animadversio est.

Nec alio monumento diu magis trans & cis Al-
pes viguit Pœnorum nomen & memoria. Usita-
ta namque adhuc erat tempore Appiani *Via Anni-
balis (c)* appellatio indita loco Alpium, qua transie-
rant Pœni. *Pœninas* inde quoque dictas Alpes,
eruditis Romanis similitudo vocis mere Celticæ
cum latino Pœnorum nomine, persuaserat. Quæ,
erronea licet, opinio, ac ideo debito historici of-
ficio improbata & refutata *Livio (d)*, celebritatis
Nominis indicium est nihilominus.

Gallis itaque, qui primi superaverant Alpes,
mirabilem hanc expeditionem fecisse nomen apud
Italos memorandum horrendumque, si quis ne-
garet, testibus ille omni exceptione majoribus re-
vinceretur. Sane, *Italiae populos adeo adventu Gal-
lorum*

(a) Id. Lib. 2.

(b) Polyb. l. c.

(c) Διόδος Ἀρριεύ. Appian. Annib.

(d) Lib. 21. Cap. 38.

lorum (L. Æmilio Consule An. V. C. 528.) per-
terrefactos omnes, scripsit POLYBIUS (a), ut non
jam pro Romanis bella geri, neque pro eorum imperio,
sed pro sua singuli quique salute, pro Civitate, pro pa-
tria existimarent. De Romanis speciatim idem in-
quit (b): *Civitas tota mœsta atque sollicita erat, nec
sine ingenti metu tanti Gallorum conatus expectabantur.*
*Veniebat in mentem vetustæ cladis memoria, & quasi
fatalem Romanæ Urbi gentem omnes formidabant. Un-
de non mirum, nomine Gallorum nihil apud Roma-
nos tetrius, nihil horribilis esse consueuisse, quod
ibidem historicus ille etiam refert.*

LIVIUS vero, de M. Furii cum Gallis in agro
Albano pugna verba faciens; *Ingentem, inquit,
Galli terrorē memoria pristinæ cladis attulerant* (c).
Videlicet, audito Gallorum nomine,

*Allia & infandi Senones, captæque recorsat
Attonitis arcis facies* (d).

Quin igitur, ut tandem ad consecutionem,
quo tendunt hæc de Gallis a me prolata, deve-
niā, mox a prima eorum in Italiam incursione,
Helvetiorum incepti auctorum nomen fama longe
lateque trans Alpes sparserit, ambigeret nemo
cum ratione, tametsi Annalibus, quos exscripsit
Plinius, haud consignata fuisset Heliconis Helvetii
memoria.

Hanc

(a) Lib. 2. Cap. 7.

(b) Ibid.

(c) Lib. 6. Cap. 42.

(d) Sil. Ital. Lib. 6.

Hanc Gentis suæ famam tempore evanescere passi non sunt priscis illis prognati Helvetii. Omnibus quippe interfuerunt bellis Gallorum adversus Etruscos & Romanos, ut probabili admodum indiciorum serie conjectarunt historiæ Helveticae veteris scriptores.

Diuturna utique nunquam fuit Italorum quies, ex quo viam sibi ad eos, perfractis Alpibus, muniverunt Galli. Sæpe namque ab his cis Padum ultraque legiones Etruscorum fusas, audivisse Clusinos ante Brenni bellum, LIVIUS testatur (a). Quamque multoties ab his temporibus ad usque Anniballiana Romam terrefecerint & perturbarint Galli, Polybius, tumultus Gallicos indicans, & Livius singulos describens, satis docent.

Conjecturam autem tam ingenio Julii Cæsaris, quam notæ ejus in omnibus diligentiae eruditio- nique ex diametro oppositam, is faceret, qui opinaretur, leve adeo in eo extitisse cognoscendi res Gallorum antiquas, gestave desiderium, ut intra generaliora apud Polybium legenda consisteret. Annales Cæsar haud dubie omnes, Scriptoresque evolverat accurate. Percontandū etiam factorum, quorum testes adhuc quidam superstites darentur, notitiam sibi paraverat. Belli Cimbrici memorabiliora cum ignorasse quis credat? Maxime vero gestorum ab Helvetiis, quibuscum decertandum ipsi erat. Omnia sigillatim edidicisse facile poterat a Romanis illis, quos sub jugum mise-

(a) Lib. 5. Cap. 34.

miserant Turicenses exercitus Cassiani victores. Quam contumeliam apud eum oblivio non deleverat. Memoria quippe eam se tenere, ferreque eo gravius, quo minus merito P. R. accidisset, Legatis Helvetiorum declaravit (*a*).

Superioribus quum accessissent fortia sub oculis ejus ab Helvetiis edita facta, insigni virtuti debita laude præcellentiae supra reliquos Celticæ Galliæ populos, si Helvetios Cæsar fraudasset, silentio eam prætermittendo in hujus belli Commentariis, veritatem historiæ scriptori observandam, nec non gloriam, cuius appetentissimus erat, fortissimæ Gentis victorem manentem, eum insuper habiturum fuisse, manifestum utique est. Unde fit etiam perspicuum, sine summa Cæsaris iplius, ut & priscorum quoque Helvetiorum injuria locum in præstantissimi illius Imperatoris atque historici Commentariis unicum, de quo disputavimus, memorandæ huic Gentis Helvetiæ laudi destinatum, expungi nequaquam posse. Quod cæteris multis adductis superius ad loci illius authentiam demonstrandam, veramque ejus sententiam affirmandam, argumentum conjungenti, felix an infaustum prorsus Emendatoris J. C. H. conamen sit, satis constabit.

(*a*) De B. G. Lib. I. Cap. 14.

